

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Promptvarii exequialis pars ...

Continens centurias II. dispositionum, quibus themata funebria sive
scripturae dicta varia ...

Bidembach, Felix

Francofurti, 1625

Thema XXXIII.

[urn:nbn:de:bsz:31-130978](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-130978)

THEMA XXXIII.

Hiob. 16. v. penult. & vlt.

Si sic iudicaretur vir cum Deo, quomodo iudicatur filius hominis cum Collega suo: Ecce autem anni numerati venerunt, & semitam per quam non reuertar, ambulo.

DISPOSITIO.

In funere Nobilis iuuenis, Caroli Wernheri de Themar, anno 1605. 31. Aug. Stutgard. extrat vberior tractatio thematis, typis excusa.

Verba quæ prælegimus, non sunt alicuius hominis imperiti, sed Hiobis amici Dei singularis. Et is sane hæc non imprudenter effutire voluit, sed cum grauisimo distineretur morbo, in medium attulit, vbi nulla spes conualefcendi supererat: quod patet ex verbis ipsius Hiob. 17. v. 16. & 19. vers. 20. & 17. v. 13. Nihil enim aliud sperare poterat.

Graues tum in corde ipsius oriebantur cogitationes, præsertim cum ipsi videretur mors omnino esse præmatura, quia cum post annis adhuc 140. superuixerit, tum nondum fuit vsque adeo senex & nepotibus caruisse videretur. Ideo quæritur, nimis fuisse breues dies vitæ. Hiob. 9. vers. 25.

Maxime vero hoc ipsum angit, quod tam miserabili casu se periturum videt. Super hoc contendere cum Deo luberet, si modo posset.

Quia itaque hisce etiam diebus, casus admodum luctuosus accidit, & mors præmatura defunctum abripuit (quæ iudicio rationis iniqua & nimis dura videri possit) agite, hæc verba Hiobis excutiemus: dicturi 1. Quæ fuerint cogitationes Hiobis, cum se putaret moriturus: & quomodo ab illis cogitationibus animum abstraxerit, *Wie er seine trawrige Gedanken gestillet.*

2. Quo-

2. Quomodo de fine vitæ suæ (quem tum instare putabat) loquatur. Et quid hæc nos moneant.

I. Pars.

Initio sciendum, Iobum plus satis afflictum, ab amicis (qui consolandi gratia accesserant, sed reuera consolatores onerosi erant, Job. 16. versicul. 2.) misere exagitarum fuisse, ac si aliquo scire hanc sibi poenam diuinam ipse accessisset. Vt patet ex oratione Eliphaz. cap. 5. v. 3. 2. & aliis multis, per totum caput: quod multa virulenta scommata continet.

Respondet Iobus hoc capite 16. non sine stomacho & indignatione, & tandem de vitæ suæ fine differit. Quamquam autem Hiobus non plane Deo valedixerit, sed adhuc bene sperarit, ut patet ex hoc ipso cap. decimo sexto, versu. 19. & 20. tamen ad ista amicorum scommata satis impatientem se ostendit: ut erumpat in hæc verba, si liceret mihi Deum in ius vocare & cum illo litigare, sicut potest homo cum homine, &c. Et tamen non absoluit sermonem, sed abruptit, & cætera in corde occultat.

Hoc autem vult: si legitimus processus Iudicialis institueretur, audirentur testes &c, sperare se meliora cum innocens sit.

Et sane non semel fatetur, quod Deo dicam scribere & litem intendere cuperet, si modo id liceret. Ut videre est cap. 13. vers. 6. & seq. Suamque innocentiam deducit per totum caput 31.

At Deum nimis esse potentem, & in ius non venire, queritur cap. 23. v. 6 & 27. v. 2.

Et hæc quidem ratio & caro ipsi dictarunt: cum aliquin nouerit, Deo neminem posse respondere, ut habetur cap. 9. v. 2. & 3. Ideoque compescit suas cogitationes, & abruptit sermonem, dicens: Quid accuso Deum, quid ultra possum conqueri, cum venerit tempus, & hora mortis iam decreta, & definita à Deo. Nouit enim quid dixerit supra cap. 14. vers. 5. Ergo contra vim mortis neque

neque appellationes, neque exceptiones, neque protestationes, nec cautelae iuris quicquam valere intelligit.

Locvs I. Hiobus noster talia animo versans, viua est imago ingenii humani: quæ sunt hominum cogitationes, demonstrans, vbi moriendum est: siue id de nobis siue de aliis fiat. Et sane quoad nos ipsos, videtur terminus nimium accessus, cum iam futuri fuerimus prudentiores, magis pii & rebus gerendis idonei. Vide querelas & protestationes Hisk. 6. Ela. 3. 8. v. 10. 13. & ibid. v. 3. Si alii moriantur & pii quidem, varie solemus disputare, cur non potius mors rapiat impios. Indignatur Samaitis Prophetæ, quod ipsi a Deo impetrant filium, 2. Reg. 4. v. 28. Ita etiam Sareptana, 4. Reg. 17. vers. 17. Si senex moritur, optamus illum iam ante multos annos vita functum. Si iuuenis, immatura mors vocatur. Si morte naturali, disputatur quæ mortis causa. Si violentia decedat, inique id ferimus. Sic nunquam nobis recte videtur factum.

At hic compescenda ratio verbis Hiobis: Venit tempus præfinitum, Job. 14. v. 5. Psal. 119. v. 16. Tempus moriendi, Eccl. 3. v. 2. Satis est Deo sic placuisse: sine cuius voluntate non cadit capillus de capite, Matth. 10. vers. 30. Si cipi placuit. Ad consolationem hæc faciunt.

II. ADMONITIONE tamen hic opus esse iudico. Multi enim his locis abutuntur: alii Stoici, fatalem necessitatem inde exstruunt: alii Epicuræi etiam augas suas hinc volunt defendere.

NOTANDA itaq; sequens doctrina, ne vel ad dextram, vel ad sinistram declinemus.

1. Constituit Deus terminum vitæ quidem, sed non absolute absq; æ omni conditione.

Piis quidem promittitur longæuitas, Prouerb. 3. vers. 2. Prouerb. 4. v. 10. Idem patet ex 4. Decalogi præcepto, de quo Exod. 20. v. 12. Eph. 6. v. 2. Contra impios minatur decurtationem annorum, Psal. 51. v. 24. & Psal. 38. vers. 10. Patet exemplo Ger & Onan Gen. 38. v. 6. & 10. & Sophni atque Pinchas, 1. Sam. 2. & 4.

2. Ut plurimum autem mediate agit Deus, & iuxta communem naturæ cursum vel viuere vel mori finit homines. At tamen his mediis non est alligatus: ideoque interdum discedit à communi regula. Josiam in flore ætatis abripit 2. Reg. 22. 2. Par. 34. Saul longæuus est. Abia qui bonum in ipso inuentum, cito abripitur. 1. Reg. 14. v. 13. Jeroboam pater impius diutius superstes est.

3. Habet autem huius rei causas certas. Pios abripit ne videant mala & seducantur. 2. Par. 34. v. 28. Sap. 4. v. 11. Esa. 56. in fine Impios interdum longæuus esse patitur, vt sua bonitate inuitet ipsos ad pœnitentiam. Rom. 2. v. 4. vt que si non agant pœnitentiam, tarditatem pœnæ grauitate compenset.

Patet exemplo Amorrhæorum Gen. 15. v. 16. quia thesaurizant sibi iram Dei Rom. 2. vers. 5. illi postea abripiuntur in tempore malo Eccl. 9. vers. 12. Nec vnquam fallitur Dei prouidentia. Si enim aliter futurum fuisset, id ipsam etiam præuidisset.

4. Nos autem cum nesciamus, quis terminus vitæ nostræ præfinitus sit, non debemus impie & intemperanter viuere, sedq; nobis ipsis accelerare mortem. Neque enim quenquam Deus sua prouidentia trahit ad malum: Cum non deleatur malo. P. sal. 5.

Quia vero Deus vitam sub conditione pietatis vult prolongare, pietati studeamus, vt augeatur numerus dierum nostrorum. Neq; intermittenda precatio ardens, Ne in medio dierum abripiamur. P. sal. 10. 2. v. 25. Illud certe respicit Deus vt patet exemplo Pauli & Epaphroditi, qui donati sunt precibus suorū, cum iam finem vitæ existimarent instare. Phil. 2. v. 27. 2. Cor. 1. v. 10. Quia peccatoribus vitam abbreviare solet, videmus peccata, &c.

5. Neque etiam contemnenda media, vt sunt medicina & alia Syr. 38. v. 4.

Licet enim quindecim annos Iehiskiz donarit Deus, medicamento tamen ipsum vti vult, sine quo (si neglexisset temere) sanitate nõ fuisset consecutus. Esa. 38. v. 15.

Nes

Nec Deus tenandus, Matth. 4. v. 7. Nec amanda pericula.

Idipsum etiam docent verba Pauli, Act. 27. vers. 31. vbi dicit salui esse non poteris his aufugientibus, cum tamen audiuisset sibi donatos omnes, v. 24. Qui autem amat periculum, peribit in eo. Syr. 3.

6. Quod si vero Deus singulare aliquid de nobis statuere voluerit, præter communem naturæ ordinem ex hac vita nos euocare iuuenes, &c. nemo est qui possit Deum accusare. Sunt enim sortes nostræ in manibus ipsius, Psa. 31. v. 16. Et scit ipse quid de re nostra sit. Dicamus rum cū Hiobe, venerunt dies numerati. Qui sic moritur, sat compleuit annorum Sap. 4. v. 13. Et coram Deo mille anni sicut vnus dies, Psa. 90. v. 4. 2. Pet. 3. v. 8.

His comperere poterimus cogitationes vanas & rationis humanæ murmur, ne vel ad Stoicos desectamus, vel ad Epicuræorum castra transeamus.

II. Pars.

Hiobus cum se morti vicinissimum esse putaret, sic loquitur de obitu suo: *semitam, per quam non reuertar, ambulo.*

Sæpius scriptura mortem vocat *semitam* vel *viam* Ios. 23. v. 14. 2. Reg. 2. v. 2. Das ist der grasige Weg dem Grab zu. Ita Hiob: Experiar communem hominum sortem, & eadem cum cæteris mortalibus via abibo.

Quod vero addit, per quam *non reuertar*, non sic accipiendum est quod de resurrectione sua dubitarit, de qua egregie Iob. 19. vers. 2. sed hoc vult, se per hanc viam, id est, ad hanc vitam corporalem non reuersurum.

Lo c vs. Ex hac formula loquendi de via, varia possumus discere.

I. Primo sciendum, quod quam primum nascimur in hunc mundum, statim ingredimur viam istam ad mortem. Sicquetantum per mundum transimus, per ætates quatuor ad mortem. Ab infantia ad adolescentiam, ex-
inde

inde ad virilem aetatem, & hinc ad senectam. Ne reuerti licet ad principium, ratione annorum. Hinc recte illud: Nascens morimur, finisque ab origine pendet.

Quicquid igitur in hac vita: siue hoc itinere nobis expediendum fuerit; per singulas aetates mox perficiamus, nec quicquam differendum vsque ad nostrum reditum.

Et in iuuenta mox discamus timere Dominum Eccl. 12. v. Josias puer quaerit Dominum, 2. Par. 34. v. 2. Sic etiam discenda caetera, quae erunt necessaria. Nam qui non est hodie, cras minus aptus erit.

Quomodo adolefcens ambulauit recte? Psalm. 119. v. 9. Si iuxta verbum tuum ambulauerit.

Deinde reconciliamur proximo etiam, si offensa fuerunt nobis cum aliis: *Dum in via sumus*, Matt. 5. v. 2. Ne tradamur tortori.

Et in genere dum sumus in hac via, discamus agnoscere, & celebrare Creatorem & Redemptorem nostrum. Mortui enim, & qui in sepulchris, id non possunt amplius, Job. 7. v. 9. Psalm. 115. vers. 17. Psalm. 146. vers. 1. Esa. 38. vers. 18. & 19.

II. Secundo, quia ambulamus in via ad mortem, per quam non sumus reuerfuri, per peram agunt hi qui nimium inhiant rebus terrenis, & mundanis. Viatores & peregrini in via, per quam tendunt, non solent negotiari, domos sibi emere, &c. Ita nobis semper est transeundum, & propterea à non necessariis abstinendum. Vide illud Hiobi 14. v. 7. Et addit, v. 19. Perit spes hominis, Eccl. 5. v. 14. Nil fecum auferet.

Quorsum igitur opus tot curis & consiliis sollicitis. Vide id Psalm. 146. v. 4.

III. Tandem, quia per hanc viam non licet reuerti, cogitandum de alia, qua nobis eundum, ad nostrum *πολίτευμα*, Phil. 3. v. 10. Coloss. 3. v. 1.

Certum enim est, cum viuere debeamus post mortem, aliam superesse viam qua eundum; quia per hanc non liceat reuerti, Et est quidem eadem omnibus via ad mor-

mor.

mortem : atque per eandem viam omnes resurgemus, & veniamus ad tribunal Christi, 2. Cor. 5. v. 10.

Tum vero dispar erit ratio : & alii à via dextera declinabunt ad sinistram, Matth. 25. 1. 33. Ioh. 5. v. 29. Dan. 12. v. 2. Rom. 2. v. 7. & 8. Qui tum volunt recta via ad vitam ingredi, in hac vita prius debent currere viam mandatorum Domini, Psal. 119. v. 32. in via angusta, Matth. 7. Non ambulandum in via lata, cum furibuss, Psal. 50. v. 18. Non in via peccatorum, Psal. 1. v. 1. Sed delectatio in lege Domini, v. 2. Qui sic ambulant, non agunt male, Psal. 119. v. 3. & c. Ut autem hoc fieri possit, orandum ardentex ex Psal. 119. v. 27. 29. 35. Et Psal. 139. v. 24.

F I N I S.

THEMA XXXIV.

Hiob. 17. v. 13. ad fin. cap.

Si sustinero, infernus domus mea, & in tenebris stravi lectulum meum. Putredini dixi, pater meus es tu, & cetera quae sequuntur vsque ad finem capituli.

DISPOSITIO.

Mirum videbitur vobis, charissimi, quod Hiobus pietatis & singularis patientiæ nomine celebris, hoc loco de inferno sic loquitur, ac si de sua salute desperans, iam mox in illum sit præcipitandus : mirum etiam, quod de lectulo suo in tenebris, & quod de fœda cognatione quadam, scilicet de putredine & vermibus, tanquam de patre, matre atque sororibus loquitur.

Ideo hæc verba Hiobis, quid sibi velint, paulo erunt accuratius examinanda : vbi experiemur, illis non parum doctrinæ & admonitionis (pro viuentibus & morituris) Primum autem de domo illa Hiobis (horribili in oculis nostris) & lectulo illo, dicemus.

Deinde etiam de illa mirabili ipsius cognatione. *Wunder neuen seligamen Freundschaft.*

G

I. Pars.